Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

55

Extende manum tuam super mare: ut revertantur aque ad egyptios super cur-
rus et equites eorum. Cumque extendisset moyses manum contra mare: rever-
sum est primo diluculo ad priorem locum. Fugientibusque egyptiis occurrerunt a-
que: et involvit eos dominus in mediis fluctibus. Reverseque sunt aque: et operuerunt
currus et equites cuncti exercitus pharaonis: qui sequentes ingressi fue-
rant mare. Nec unus quidem superfuit ex eis: Filii autem israel perrexerunt per me-
dium sicci maris: et aque eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris.
Liberavitque dominus in die illa israel de manu egyptiorum: et viderunt egyp-
tios mortuos super litus maris: et manum magnam quam exercuerat dominus
contra eos. Timuitque populus dominum: et crediderunt domino et moysi servo eius.
Tunc cecinit moyses et filii israel carmen hoc domino et dixerunt. Cantemus domino

Hec est hereditas. Alia.

Audi israel mandata vite: auribus percipe ut scias prudentiam. Quid
est israel quod in terra inimicorum es: inveterasti in terra aliena: coinquinatus
es cum mortuis: deputatus es cum hiis qui in inferno sunt. Dereliquisti fon-
tem sapientie. Nam si in via dei ambulasses: habitasses utique in pace
super terram. Disce ubi sit sapientia. ubi sit virtus. ubi sit pru-
dentia: ut scias simul ubi sit longiturnitas vite et victus: ubi sit
lumen oculorum et pax. Quis invenit locum eius: Et quis intravit in
thesauros eius: Ubi sunt principes gentium: et qui dominantur super bestias
que sunt in terra: Qui in avibus celi illudunt: qui argentum thesaurizant et
aurum in quo confidunt homines. et non est finis possessionis eorum: qui argen-
tum fabricant et solliciti sunt. nec est inventio operum illorum: Exter-
minati sunt et ad inferos descenderunt: et alii in loco illorum surrexerunt.
Iuvenes viderunt lumen et habitaverunt super terram: viam autem discipline
nescierunt neque intellexerunt semitas eius: neque susceperunt eam
filii eorum. A facie illorum longe factum est. Non est audita in chanaan: ne-
que visa est in theman. Filii quoque agar qui exquisierunt prudentiam
que de terra est: negotiantes terre et theman et fabellatores et exquisito-
res prudentie et intelligentie: viam sapientie nescierunt: neque memi-
nerunt semitarum eius. O israel: quam magna domus dei: et ingens locus